



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

v. De præbendis & dignitatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

## De præbend. & dignit.

riúmve stipendia sibi vindicato. Cùm ecclesia ministeriúmve ecclesiasticum committi debet, talis persona, quæ residere in loco, eiusque curam per seipsam exercere valeat, quæritor. Si secus factum erit: qui id recepfit id amittito, qui duit largiendi potestate priuator.

4. *Relatū* Sed & qui ad ecclesias præsentabuntur huiusmodi sunt, alioqui ne admittuntur. Si hoc se posse adfirmassint, & post admissi contradicenti de prælatorum suorum licentia studiorum literarum ergo, aut pro aliis honestis causis eos abesse contingeret, amouentur. adpellationis obstaculum, si contra decretum huiusmodi eiusve intentionē interiecta erit, nihil his patrocinator.

6. *Cōuente.* Sed & qui sufficientia ecclesiastica beneficia habebunt, quive ecclesiæ non deseruent, alios in eisdem ne molestanto, inquietanto.

### *De Præbendis & dignitatibus. Tit. 5.*

**E**T quia de qualitate beneficiariorum ecclesiæ mox sermo incidit, ac iam de eorum stipendiis, id est præbendis, dicturi sumus, idcirco cæteræ quoque eorum qualitates absoluuntur. in omni enim tractatu primū de personis agitor.

29. *Grave* Ecclesiarum ergo prælati viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promouento. his morum honestas, & literarū scientia suffragantur. hi deo optumo maximo & ecclesiis famulātor. de hoc quotannis in prouinciali concilio diligēter auquiritor. si quis post primam & secundam correctionem repertus erit culpabilis: à beneficiis



conferendis per concilium suspenditor . in eodem persona prouida & honesta , quæ suspensi defectum in beneficiis conferendis subpleat, instituitor . Circa capitula quæ in his deliquerint idem seruator . At metropolitani delictum superioris iudicio relinquitor . ex parte concilii nunciator . suspensionis huiusmodi sententia præter Ro. pontificis authoritatem propriæve patriarchæ ne relaxator .

Item ii tantum qui in ecclesiis, vt dictum est, seruire volent, & poterunt , ad beneficia idonei reputantor . Pueri verò, & iam beneficiarii , qui deseruire non possunt, ad ea idonei ne cēsantor .

35. Super  
inordina-  
ta.

Et si verò is pro quo in aliqua ecclesia recipiundo summus pont . mandasset neque nobilis & liber ab utroque parente, nec eminentis sciētiae erit, licet ecclesiæ consuetudo de iis tantum recipiendis esse dicetur, non multum officito . virtutum potiùs quàm generis nobilitas in iis spectator .

37. Vene-  
rabilis.

Vnde nullus de clero volgòve iure consanguinitatis ecclesiastica bona sibi habenda quaerito .

1. Vt nullo

In quibusquidē bonis hoc seruator . quod pro communi vtilitate datum est id propriis cuiusquam vsibus ne adplicator .

3. Ratio  
nulla.

Clerici tamen de patrimonio Christi, cuius obsequio deputantor, viuunt . ecclesiæ stipendiis, in qua & per quam diuinis obsequiis adscribuntur, sustentator . si qui denique sine certo titulo nullo præsentante promoti erunt : his tamdiu per ordinatores, eorumve successores, si

16. Cum  
secundum



## De præbend. & dignita.

his vocatis ordinati examinati reperientur idonei, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur, prouidetur, tamdiu vitæ necessaria olis congruè subministrantur.

2. *Non liceat.*

Nulli enim episcoporum clericos ordinare, & eis nullas alimonias præstare liceto. Aut clericos ne faciunt, aut, si faxint, eis unde vivere possent danto.

4. *Episcopus.*

Episcopus itaque si quem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum, presbyterumve ordinasset: donec ei in aliqua ecclesia militiæ clericalis conuenientia stipendia adsignasset, tamdiu (ni tamen is de paterna sua hæreditate subsidium vitæ habere potest) necessaria subministrato.

23. *Tuis.*

Clericos autem in minoribus ordinibus constitutos, si de patrimonialibus bonis, unde congruè sustentari possint, habebunt, nec aliud canonicum obsistet, etsi necdum ecclesiasticum beneficium indepti erunt, ad superiores ordines promouere liceto.

30. *Extirpanda. in prin.*

Alioquin quisquis altario seruiet de altario uiuito. Et si quarum ecclesiarum patroni erunt, hique, seu episcopi, aut alii de portionis modo contrariam consuetudinem allegabunt: presbyteris earum seruitiis deputatis portionem sufficientem adsignanto.

De iur. qui verò.

Sic & qui parochialem ecclesiam habebit, ille quidem per seipsum in ordine, quem ipsius ecclesiæ cura requiret, deseruito. Si verò dignitati præbendæve parochialis ecclesia adnexa erit, is in maiori ecclesia deseruito, idoneum vica-



rium, & perpetuum in parochia habeto. ille  
 canonicè instituitor. competentem de ipsius ec-  
 clesiæ fructibus portionem habeto.

Sic & monachi cum ad parochiales ecclesi-  
 as vicarios episcopis præsentabunt, tantum iis de  
 prouentibus ecclesiæ coram ipsis adsignanto,  
 unde iura episcopalia persoluere, & congruam  
 sustentationem habere possint. alioquin ad præ-  
 sentationem eorum nullus recipitor. 12. De  
 monachis

Sic & canonici regulares monachive in ec-  
 clesiis suis, de quibus certas portiones percipere  
 consueverunt, portiones antiquosve redditus, quos  
 earundem ecclesiarum clerici olim habere con-  
 sueverunt, sine consensu episcopi sui ne minuun-  
 to, neve parochias diuidunto. si faxint: ad inte-  
 gritatem pristinam reuocanto. 10. Ana-  
 ricia.

Itidè regulares ecclesias decumasve sine epi-  
 scoporum consensu de manu laici ne accipiun-  
 to. excommunicatos interdictosve nominatim  
 ad diuina nullatenus admittunto. In ecclesiis  
 quæ ad ipsos pleno iure non pertinebunt pres-  
 byteros, quos tamen honesta conuersatio notos  
 reddet, probabilève prælatorum testimonium  
 commendabit, instituendos episcopis represen-  
 tanto. hi episcopis de plebis cura respondento,  
 regularibus rationè pro rebus temporalibus cõ-  
 petentem exhibento. hi institutos inconsultis  
 episcopis ne remouento. 31. In La-  
 teranensi.

Sic & qui in canonicum receptus erit præ-  
 bendi beneficio ne defraudator. huic præben-  
 dum, cum se facultas obtulerit, adsignator. eidè  
 quotidianæ portiones quæ in ecclesia fiēt sine de-  
19. Dila-  
 ctus.



## De præbend. & dignit.

minutione adsignantur.

32. *Licet.* (Sanè si studiorum ratione prouentus suos ecclesiasticos integrè ministrari mandasset Ro. pontifex: quotidianè distributiones ne tribuantur. hæ tantùm residētibus in ecclesia, & his qui canonicis horis intererunt exhibentur.)

17. *Inter cetera.* Sic & qui præbendum quod de iure non potuerit clerico adsignasset, illud quod post de iure primùm poterit adsignato.

9. *Relatū.* Qui enim episcopus in ecclesia sua clericum canonicè instituerit cum promissione de primo præbendo vacaturo eidem conferendo, huic, si in choro, capitulo, ac aliis quorum vsus communis fiet potestatem sicut canonicus habet, præbendum quod primò vacabit liberaliter adsignato. hic in canonicum receptus præbendo ne careto.

30. *In fi.* Cæterùm nullus episcopus, aliùsve conlator in fraudem eorum quæ dicta sunt de prouentibus ecclesiæ quæ curâ habere debet proprii sacerdotis pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumito.

21. *Nisi essent.* Duobus enim ad vnâ dignitatem adsumptis vnus tantùm eam habeto. Si tamen iudices causæ dati partium compromissum in se recepserint authoritatem sibi commissam retinentes, & circa alterum de pensione quid ordinassint, idque eiusdè ecclesiæ clerici recepserint: quod ex eiusdem ecclesiæ prouentibus per iudices alteri adsignatum erit, si pro bono pacis & utilitatis hoc factum erit, & Ro. pontifex viderit, ratum esto. Si quid autem ex ipsius dignitatis fructibus



percipere ordinatus erit : ad eius præstationem non dignitas, sed persona, cum qua id actum gestū fiet, onerata maneto. Ea defuncta successor eius id præstare ne dānas esto, néve tenetor.

In summa: duo clerici vnum præbendū ne tenent, néve ad id eleguntor. Si factum erit: electio de iuris rigore cassator, circuducitor. 20. Tua.

Maiores etenim ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus minorū clericorum præbenda ne secantor. tam in magnis quàm in minimis membris suis ecclesia firmam vnitatem habeto. nulla præbendorum dignitatūve diuisio, vt nec permutatio, esto. 8. Maioribus.

Quod si sedis apo. legatus, de cuius ecclesiæ capituli consensu, canonicatu & præbendo dūtaxat vno vacante, duos in canonicos instituerit, & ambobus capitulum stallum in choro & locum in capitulo (quod dicūt) superior autem præbendi fructus communiter diuidendos assignasset: si in ecclesia certus siet præbendorum numerus, institutio nulla esto. hunc certum numerum, si iuramento firmatus, & ab apo. sede confirmatus siet cum clausula quod contra fiat irritante, apostolicæ sedis legatus augmentare, aut ius aliquod canonicatus de nouo creare ne intendito. 25. Dilecto.

Si verò vacante in ecclesia sua præbendo vno episcopus cum capituli sui ad sensu duo ex eo constituerit, & ad ea duos canonicos adsumpserit: ni rationabilis causa id faciendi fuerit, & tot vtriusque prouentus sient, vt per vtrunque duobus in beneficio cōpetenti prouisum siet, vtriq; 26. Vacato.



## De præbend. & dignit.

- ex his quæ vacare cõtigerit præbendũ integrato.
31. *Expo-  
fuiſti.* At si cuius ecclesiæ canonicorum prouisionem ita deminuta erit, vt ad eorum sustentationem non sufficiat, & euidentis vtilitas, necessitasve exiget: episcopo præbenda ecclesiæ suæ de capellis in perpetuum eidem adnectendis, sicut expedire viderit, augmentare licet. tantum capellarum presbyteris congrua portio reseruator.
36. *Cũ cau-  
sam.* Alioquin pro vnus integratione aliud de nouo præbendum ne scinditur.
5. *Quia  
intantum.* Porro vt duo ad vnum præbendum, sic & vnus ad duo ne admittuntur, & in quibus locis vnus duas, treis, pluresve ecclesias habebit, de præbendorum multitudine eorum qui ecclesiis deservire valeant indigentia subleuatur, hæc locorum episcopi emendant.
6. *Cũ te-  
neamur.* Vnde si quis episcopus mandatum apostolicum pro eius prouisione recepit qui aliud beneficium habeat de quo commodè sustentari possit: si non in ipsis literis de hoc mentio erit, aut si eidem sine scandalo prouideri nequibit, et si id non exequatur, culpa careto.
7. *Referẽte  
14. Præter  
ea.* Qui autem duas ecclesias habebit, vnã quam mauolet relinquere, altera personæ idoneæ beneficio ecclesiastico carenti assignator.
3. *Ad  
hæc.* Sed nec vnus clericus in vna diuersisve ecclesiis plures dignitates seu personatus obtineto.
15. *Cũ non  
gnores.* Vna itaque ecclesia vnus sacerdotis esto, qui que beneficio quod habebit contentus maneto. in duabus ecclesiis locum ne habeto. et si ab alterius ecclesiæ clericis in eum qui aliud beneficium habesit consensus erit: si post dissentia-



eum eorum scandalo in eorum ecclesia locum  
ne quærito, néve habeto.

Qui ad dignitatem electus plureis alias digni-  
tates & præbenda habere dicetur, quive intru-  
sus ante confirmationem postve eam cassatam  
ministrasset, ab eiusdem petitione submouetur.

18. Cū iā-  
dudum.

Hodie quisquis aliquod beneficium curam ha-  
bens animarum adnexam recepit, si prius tale  
habuerit, eo ipso iure priuatus esto. si id retinere  
contēdet: etiam alio spoliator. is, ad quem prio-  
ris conlatio spectabit, id post receptionem alte-  
rius liberè cui viderit conferto. si vltra sex men-  
ses differet: ad alios eius conlatio deuoluitur.  
Idem quantum à tempore vacationis eiusdem  
perceptum esse constabit, tantum de suis pro-  
uentibus in vtilitatem ecclesiæ, cuius id bene-  
ficio siet, assignato. hoc idem in personatu-  
bus seruatur. Nullus in eadem ecclesia plureis  
dignitates, personatusve, etsi curam non habe-  
bunt animarum, habeto. Circa sublimes tamen  
& literatas personas, cū ratio postulabit, per  
sedem apostolicam rectè dispensator. hæ maio-  
ribus beneficiis honorantur.

28. De  
multa.

Pro his itaque vel etiam aliis, modò necdum  
beneficium indeptis mandata apostolica diri-  
guntur. In queis hæc obseruatio esto. Si quo tē-  
pore literas huiusmodi mandati apo. receperint  
eius ecclesiæ canonici in qua de præbendo quod  
tunc vacauerit cuiquam provideri mandatum  
siet, præbendum vacabit, illudq; ipsi alteri con-  
tulerint: nihilominus mandatarium, si non suffi-  
ciens beneficium ecclesiasticū habebit, deinde

27. Dile-  
ctus. ij.



## De præbend. & dignit.

in canonicum recipiunt. eidem donec in præbendali beneficio prouisum fiet de redditibus ecclesiæ singulis annis prouentus assignantur.

22. *Pro il-  
lorum.*

Sed & qui aliquem in canonicum & fratrem ecclesiæ suæ recipere à Ro. pontifice eiusve delegato iussi erunt, etsi de certo canonicorum numero indulgentiam habebunt, si tamen eam non seruassint, sed aliquem ultra eum numerum in canonicum propria autoritate ante receperint, quam legem obseruare neglexint, Ro. pontifici ne imponunt. eum pro quo mandatum fiet in canonicum recipiunt. ea quæ ad canonicatum pertinebunt cum stallis chori (quod vocant) & loco capituli illi assignantur. Ni facient: tandem excommunicationis vinculo adstringuntur.

34. *Dile-  
ctus. iii.*

Denique si quibus hoc mandatum erit directum: ne, quod ex laici etiã regis donatione præbendorum ecclesiæ conlatio ad eos pertineat, etsi eius in literis mentio non fiet, obponunt, mandatum nihilominus exequuntur.

38. *Cum  
olim.*

Sanè si cui in ecclesia prouideri mandatũ erit: hoc ad rectoriam, dignitatẽve ecclesiæ ne trahitor, tantũ ad simplex beneficium pertinet. quod contra factum fiet ne teneto.

11. *Signifi-  
catum.*

De præbendo ita alicui prouideri valet, ut factum quotidie celebret, nec ecclesiam in qua institutus fiet sine consensu prælati eiusdem dimittat, aut ipsius anniuersarium cuiquam deleget. hocque ita accipitor, ut, quanto frequentius salua honestate sua, & debita deuotione poterit, sacra solemnia celebret. hoc ipsi ecclesiæ voluptatis causa, ad aliãve ecclesiam se transf-



ferendo, ne subtrahito. per procuratorem defer-  
uire ne valet.

In acquirenda possessione secus esto. Clericus <sup>24. Ac-</sup>  
enim absens per alium, vel alius magis pro ipso <sup>cedens.</sup>  
de beneficio ecclesiastico rectè inuestitor.

*De clerico agrotante vel de-*  
*abilitato. Tit. 6.*

Clericum ad percipiunda ea quæ ab ecclesia <sup>1. Cũ per-</sup>  
consueta sunt eius ægritudo ne impedito. <sup>cusio.</sup>  
secundum eius ordinem quæcunque ei, si sanus  
esset, ministrarentur, de eo quod ecclesiæ acce-  
dere possit agrotanti ministrantor.

Rectoribus tamen ecclesiarum, qui lepræ ma- <sup>3. De re-</sup>  
cula infecti nec altari seruire, nec sine magno <sup>ctoribus.</sup>  
scandalo eorum qui sani sunt ecclesias ingredi  
poterunt, coadiutor dator. Is curam animarum  
habeto. De facultatibus ecclesię ad sustentatio-  
nem suam congruam portionem recipito.

Leprosus enim ab administrationis officio re- <sup>4. Tua</sup>  
mouetor. Olli iuxta facultates ecclesiæ necessa- <sup>nos.</sup>  
ria quamdiu vixerit ministrantor.

Episcopo quoque, si fontico & incurabili <sup>5. Ex par-</sup>  
morbo per longum tempus laborasit, nec pa- <sup>te.</sup>  
storale officium vllatenus exercere poterit, cui-  
bus maxumè petentibus coadiutorem virum  
prouidum & honestum, ex Ro. tamen pontifi-  
cis mandato, archiepiscopus ad sociato. per hũc  
tam episcopo quàm populo vtiliter consulitor.  
Ipsum verò episcopum ad cessionem ne com-  
pellito.